



ANN. XI. - N. 70

MENS. NOVEMBRI et DECEMBRI

ANN. MCMXLI




PALAEESTRA LATINA



S U M M A R I U M

- Exiit edictum a Caesare Augusto ut describeretur universus orbis... (PUJOL)
De Maria Goretti (AVENARIUS)
De cognomine «Claret» (MIR)
Bibliographia (MIR)
Nova et Vetera (JIMÉNEZ)
Per Orbem (ARGENTORATUS)
Mirifica Portenta (MARCOS)

Ordinarii et Superiorum permissu



Talleres Castellanas, S. A.

Casa fundada en 1871

Escultura Religiosa

Exposición y venta: Vía Layetana, 155 - BARCELONA

LIBRERÍA LITÚRGICA

Rafael Casulleras. - Vía Layetana, 85 (antes Claris, 15) - Barcelona

Acaba de publicarse la nueva edición del **MISSALE ROMANUM**

Detalles de esta nueva edición - 1941 editad⁹ en Barcelona

Impresión a dos tintas, clarísima, de tipos grandes y muy legibles. Ilustrada con preciosas láminas. Papel superior. Su tamaño, en pequeño 4.^º (28 x 20 cént.) grueso de lomo que no llega a 5 cent., hace que sea el Misal preferido por todos, ya que la práctica demuestra sus ventajas sobre otros Misales de los de tamaño 4.^º y gran 4.^º de mayor peso y de más engorroso manejo

LOS PRECIOS SON SIGUIENTES:

Encuadernación núm. 1. En tomo piel, llano tela, cruz dorada cortes amarillos, (imitación doreado o rojos, broches de metal. Ptas. 110

Encuadernación núm. 2. Todo piel achigranada, encarnada o granate, cortes amarillos bruñidos, imitando a dorado, cruz dorada, orla en seco, cintas de seda superior, broches de metal en dorado fino y clavos. Ptas. 155

MISSÆ DEFUNCTORUM - Edición 1940

EX MISSALI ROMANO DESUMPTÆ. ACCEDET RITUS
ABSOLUTIONIS PRO DEFUNCTIS - Barcinone MCMXL

Impresión a dos tintas, de tipos grandes y muy legibles, ilustrada con preciosas láminas y viñetas. Tamaño en pequeño 4.^º (28 x 20 centímetros)

En tela, cortes rojos, orla y cruz gofrados, cinta de seda, ptas. 15

Idem que la anterior, pero con cruz dorada, ptas. 17

PALAEASTRA LATINA

SEU DE LATINITATE COMMENTARIUS ALTERNIS MENSIBUS EDENDUS

Premium subnotationis annuae, solutione antelata, est 10 pesetarum in Hispania et Lusitania, 11 pes. in America et Philippinis insulis, et 12 pes. in reliquis civitatibus. Premium mittatur oportet ad Administratorem; Lauria, 5 - Barcinone - Apart. 1042

Exiit edictum a Caesare Augusto ut describeretur universus orbis...



Quamquam ob armorum victorias, imperiique peritiam, artium et litterarum cultum Caesarem Augustum supremum honoris gradum adeptum esse dixeris, tamen, mea quidem sententia, maxima gloria Augusti in his verbis est quae D. Lucas in Evangelio Domini habet: «*Exiit edictum a Caesare Augusto ut describeretur universus orbis*». Occasione hujus universalis orbis recensionis Christus Dominus, juxta oracula prophetarum, in Bethlehem Iudee natus est.

Mihi non latet quosdam esse inter hodiernos scriptores qui falso instinctu veritatis scientificae duci, aperte negent ea quae tantum ex sacris historiographis constant. Ii revera incredibili audacia ea quae de censu Quirini testatur Stus. Lucas rejicere conantur; ideoque notissimus ille Renanus impudenter et sine ambagibus adserere ausus est: «*Jesum Nazareth natum esse*».

Sed contra hos audaces adsertores, papyri antiquissimae quae recens in Aegypto prodierunt, magno clamore vocant dum verba tertii Evangelii vel minima loculenter confirmant.

Non immerito scripserat S. Lucas: ἐμοὶ παρηκόλουθος τί πάσιν ἀκριβῶς (mihi, qui omnia diligenter investigavi) sc. qui habeo eam scientiam rerum quam mihi diligentem rerum studio comparavi... ²

¹ S. Lucas, 2, 1. — ² Luc. 1, 3.

* Paulo post sollemnia augustea Caesaraugustae habita, extraordinarius augustinus in PALAEASTRA praenuntiatus sub prelo erat. Fortuna adversa fuit, nosque, vel insontes, promissis stare nequivimus. Illius extraordinarii reliquia pignusque nostri laboris, disquisitiones et studia augustea, quae Deo fortunante in PALAEASTRA prodeunt prodibuntque, stabunt. — ACTUARIUS.

. «Herodes in Iudea regnat designatione Augusti»

Miraberis forte censum ab Augusto ordinatum esse regnante in Iudea Herode, cum finis hujus recensionis, vestigalia sc. aerario imperiali solvenda, et ipsa exsecutio, per imperatoris legatos, repugnare videantur *regno socio et foederato romanorum*, ut Iudea tunc temporis vocabatur. Sed D. Lucas aperte testatur: «Factum est autem in diebus illis exiit (seu promulgatum est) edictum a Caesare Augusto ut describeretur universus orbis» = πᾶσαν τὴν οἰκουμένην, sc. γῆν, quae circumlocutio in ore graecorum seu romanorum pro «terra a graecis romanisque habitata» sonabat et metonymice pro incolis harum provinciarum usurpabatur.

Herodes, autem, non erat uti *rex socius et sui juris* a Romanis habitus, sed veluti legatus regius, h. e. gubernator illius dicionis gratia et «dono Augusti et Senatus Romani decreto», uti Josephus Flavius in Ant. 15, 6, 7 explicite adserit. Ipse Augustus paucis ante obitum Herodis annis, cum scivisset bellum quod Herodes viator gesserat sine Imperatoris licentia, contra Obodam regem Nabataeorum, iratus dicitur scripsisse illum deinceps «non ut amicum sed ut subditum habiturum».

Subditi Herodis non tantum regi sed etiam direkte Imperatori jusjurandum fidelitatis seu oboedientiae dare tenebantur; (Ant. 17, 2, 4) et tributum sive Pompejo, sive Caesari, sive etiam Antonio Herodis Magni munificentissimo protectori judaei solvere cogebantur (Ant. 14, 4, 4; 10, 5, 6); pro Caesare cotidie offerebatur in Templo Hierosolymitano sacrificium; reges Judacae nonnisi aeneas monetas cudere poterant; nec bellum indicere, neque proprios filios sententia capitali punire poterat Herodes absque venia Imperatoris Augusti, qui testamentum ipsius confirmare etiam debuit ut validum haberetur. In his provinciis quae *nomen* tantum et *similitudinem* regni foederati retinebant, nihil mirum si Augustus censem subditorum perfici decreverit, missis ad hoc viris plenis fide, peritia et in Imperatorem amore.

2. Quomodo census perficiebatur

Ante omnia, ut S. Lucas optime notat, edictum Imperatoris, promulgabatur ab illo cui census descriptio commissa erat, sive dux militiae seu ἡγεμών ille esset, sive legatus Augusti pro praetore seu gubernator provinciae imperialis, sive ἀνθόπατος seu proconsul vel gubernator provinciae senatoriae, juxta Augusti institutum.³

Juxta quosdam falsae critices autores, quos supra memini, ratio perficiendi censem, uti ex verbis S. Lucae adparet, esset non tantum difficilis sed etiam impossibilis undequaque, nam juxta ipsum singuli debebant sistere non coram legatis census in *civitatis commorationis*, sed in propria cujusque familiae *civitate originis*, juxta familiarium stipem census perfici oportebat: ἀπογραφή κατ'οἰκίαν, ut autor sacer loquitur, sc. inscriptio in tabulis census non juxta *domicilium actuale* sed juxta *domicilium legale* ut hodiernis utar dictationibus.

Hisce ultimis annis cum papyri ex Aegypto provenientes iterum in lucem prodierunt mira consonantia apparuit inter dictiones lucanas et vocabula quae in his

³ Suetonius, Aug. 36, 47.

documentis passim usurpantur, cum de censu qui singulis quatuordecim annis ibi repetebatur, ab anno saltem 63 ad annum 257 post Christum natum.

Ex iis liceat pauca proferre.

Praefectus Aegypti qui exstiterat anno 104 p. Chr. his verbis promulgabat census edictum: «*Gajus Vibius Maximus, praefectus Aegypti, cum tempus jam adsit censem agendi ad domicilia necessarium est constringere omnes, qui quacumque ex causa habitant extra nomos (vel regiones) suos, ut redeant ad domus suas, ut et implent disciplinam consuetam census et invigilent agris colendis sibi assignatis.*».⁴

In his papyraceis textibus appareat idem vocabulum ἀπογράφη quo utitur S. Lucas et ἀπογράψειν in forma activa = perscribo in tabulas publicas ut, census causa, fortunas, redditus, etc.; et in forma passiva⁵ vel mediali,⁶ quae saepe occurrit in papyris Oxyrhynchensibus, significationem hanc induit specialem: «me, meas res ita perscribendas curo».

Conlegium seu commissio cui census descriptio commissa erat, viris quibusdam constitutum sive publicis uniuscujusque loci ministris vel ab alia magna urbe ad hoc in villas et pagos mutuatis, constabat.

In censu coram viris seu ministris deputatis perficiendo, non tantum nomen sed etiam aetatem, sexum et civilem condicionem uniuscujusque familiae membra notari opportebat; caput domus seu familiae rector haec omnia patefacere coram legatis census debebat, non tantum quoad se, verum etiam quoad omnes suae domus personas, mancipiis et pueris non exceptis, ad tributa seu vettigalia aerario publico solvenda.

Haec minutae familiarum et bonorum descriptiones non uno tempore in tota provincia neque simul in omni imperio romano fieri poterant: sicque census Judaeae incoepitus v. gr. a Sentio Saturnino potuit a Quirino perfici, ut aliqui autem, et quod v. gr. Batavi neque secundo p. Xhum. saeculo tributum aliquod solverint, nam apud ipsos census nondum erat habitus.

3. Census universalis imperii optime convenit indoli Augusti

Licet, ut innuebam, ex solo D. Luca inter omnes historiographos notitia de censu universalis ab Augusto peracto nobis constet, tamen hanc sese gerendi Imperatoris rationem, quae eximum gubernatorem in regendo imperio eum praebet, facile confirmatam invenies.

Orbis paene universus, exceptis barbarorum regionibus, sub ejus imperio dicioni romanorum parebat. Octavius, clarissime propisciens, talem serum statum cum veteri administratione componi non posse, pristinarum institutionum nomina retinens et res simulans, spiritum omnino mutavit cum in se titulos *imperatoris* et *tribuni* et *censoris* et *pontificis summi* et *principis* seu *praesidis* senatus assumpsit, quibus legaliter omnes status gradus in sua potestate haberet. Administrationem provinciarum mutavit, contra morum depravationem insurrexit, artes fovit et ingen-

⁴ Pap. Lond. III, 904; O'Rourke = Verb. Dom., vol. I (1921 p. 211). — ⁵ Luc. 2, 1. — ⁶ Ib. 2, 3-5.

tes constructiones ubique terrarum reliquit, plures provincias per se ipse directe invisit et rexit. In coaevis monumentis saepe mentio occurrit sive recensionis civium romanorum in toto imperio existentium sc. annis 726, 746 et 767 ab U. c.⁷; sive aliquarum urbium conscriptionis, sive totius imperii mensurationis jam a Caesare incoepiae et ab ipso in finem perductae; sive «rationarii imperii»⁸ sive «breviarii totius imperii» ab ipso Augusto exarati in quo «opes publicae continebantur, quantum civium sociorumque in armis; quot classes, regna, provinciae, tributa aut vectigalia, et necessitates ac largitiones. Quae cuncta sua manu perscripserat Augustus». ⁹ Quis non videt ad talem scopum adtingendum optimam viam fuisse censum universalem eorum regnum et provinciarum ad quas dicio romanorum protendebatur?

Praeterea *Casiодорус*, qui vixit ab anno 480 ad 575 p. Xtm. et plures fontes nunc deperditos attingere valuit, notitiam census universalis et divisionis imperii ab Augusto factae, diserte conmemorat: «Augusti siquidem temporibus orbis romanus agris divisus, censuque descriptus est, ut possessio sua nulli haberetur incerta, quam pro tributorum suscepereat quantitate solvenda.¹⁰

Suidas, doctissimus lexicographus byzantinus, qui vixit saeculo X, sub voce ἀπορραφή = *bonorum professio*, haec notat: «Imperator Augustus XX viros spectatae virtutis et integritatis delectos in omnes provincias misit qui et hominum et bonorum censem instituerent, partemque justam inde jussit in aerarium inferri. Hic primus fuit *census*...»

Neque est quod de vana Augusti elatione, ut saepe fit a contionatoribus, in ordinatione hujus census sermonem instituamus. Augustus etenim optimum gubernatorem se gessit in hac Imperii recensione, quae quidem occasionem praebuit Dei Providentiae vaticinia messianica adimplendi juxta quae Christus Dominus in Bethlehem erat nasciturus. Augustus hoc tantum intendebat: censem facere ut in totamque dissitis provinciis Imperii Romani quid cuique opus esset vel quas ab unoquoque utilitates sive ex hominibus sive ex rebus in totius Imperii proventum supremus moderator, data occasione, depromeret.

Divina tamen benignitas, quae omnia fortiter suaviterque disponit, auctoritatem maximam Augusti, qui tunc temporis dominus extiterat orbis, uti notarii sigillum apposuit maximo eventui totius humanae historiae, nativitatis sc. Filii Dei Unigeniti et filii Davidis secundum carnem, ut jam Tertullianus innuerat¹¹ «... de censu denique Augusti, quem testem fidelissimum divinae nativitatis romana archivia custodiunt».

ALOISIUS PUJOL, C. M. F.

Caesaraugustae die 24 junii 1940.

7 Suetonius = Aug. 27, 5. = Monumentum Ancyranum, 2, 8. — 8 Suetonius = Aug. c. 28. — 9 Tacitus = Annales, I, 11. — 10 Variarum III, 52. — 11 Adv. Marc. IV, 7.

De Maria Goretti

Celeberrimum per Italiam et nationes exteras nomen est Mariae Goretti, quae duodecimo aetatis anno nondum expleto occisa est, quod suam nolebat violari virginitatem.

Erat nata 16 die octobris 1890 in provincia Ancona Ludovico Goretti et Assumpta Carlini. Sex nata annos ab episcopo Senegalliae confirmata est. Paulo post cum parentibus inde profecta victus facilius comparandi causa venit in regionem urbis Neptunii, agrum Romanum. Mirari omnes coeperunt puellae maturitatem, pietatem, industriam. Plane ut adulta obibat omnes occupationes domesticas, verbo et exemplo educabat minores fratres et sorores, maxime cum pater mense Junio 1900 immatura morte esset abreptus. Optime praeparata die 6 Junii 1901 primam accepit Communionem alta desigens mente, quod tum archipresbyter hortabatur: ut puritatem servarent illibatam pretio omnium sacrificiorum. Fuit quasi quidam angelus familiae. Matrem curae pondere gementem decennis puella sic adfatur: *Bono es animo, mater! Quid times? Nos grandescimus in dies; si Deus valetudinem dabit, satis erit; ut est bonus, adjuvabit nos; superabitus, mater, superabitus.*

Maria egregiam sortita erat formam, quam modestia et pietate auxerat. Hanc igitur puellam Alexander, adolescens annorum duodeviginti, filius Joannis vidui, apud quem Gorettii habitabant et quocum opus faciebant in agro, suis servire volebat cupiditatibus, quae nutritae erant legendis turpibus libris et libellis. Invitat igitur bis mense Junio anni 1902 Mariam, ut sponte consentiat. Respondet Maria non se turpia facturam. Alexander exinde minatur se illam interfectorum esse, si se prodiisset, si cuiquam significasset de suis voluntatibus. Et ut terneret ferrum sibi acuendum curavit in formam pugionis, quod Mariae minans ostendit. Puella sentiens sibi paratam necem etiam magis se armat sacra precatio, rosarium est ei assidue in manu, quandam prae se ferens melancholiā rogat matrem, ne se unquam relinquat solam, cuius petitionis sententiam mater ne suspicatur quidem,

Alexander, quod pace obtinere non poterat, hoc per vim extorquere paratus, illud deliberat, quomodo Mariam secum solam faceret. Die 5 Julii anni 1902 eam jubet reficere indusium aliquod suum. Ipse vectus cum Mariae matre in agrum ubi in messe facienda erant occupatissimi, repente illam rogat, ut ducat bestias: sibi esse ad breve tempus redeundum domum. Goretti mater nihil doli opinata capit habenas, Alexander ad Mariam solam pervenit. Ingressus cubile suum pugionem, ponit in cista, Mariam invitat ut intret ad sese. Illa tremens: *Nam quid vis? Tu huc intra, ille. — Dic, quid me velis, si minus, non accedam.* Tum ille arreptam trahit intro, sternit humi, minatur telo mortem, nisi pareat. Maria habet unam responsum: «*non, non, non fit. Quid agis, Alexander, sic tu ibis in infernum.*» Clamat matrem, sed nimium distat, quam ut possit audire mater. Tum ille ferrum defigit in corpore et in brachiis puellae dum putat extinctam esse.

Sed Mariae redit animus et summa virium contentione se effert ad largiorem scalae gradum, ubi tenui voce adventantem Alexandri patrem adfatur: *Joannes, ascende huc, me occidit Alexander.* Qui rursus prorumpens Mariam a tergo invadit fodiens etiam cor ejus, adeo ut fere miraculo factum esse videretur, quod totum fere diem adhuc vixit.

Quis fuerit appropenantis matris animus quilibet facile cogitat. Transportatur Maria Neptunium, in via et postea crudelia patiens dolore vulnerum et cruciatu sitis negato potu a medicis. Ante quartam et eandem postremam Communionem suam suo ignoscit occisor, quem dixit se vicinum velle in caelo, sacramenta acci-

pit exeuntium, laeta recipitur inter filias Virginis Deiparae, postremo morti jam vicina et destituta sensibus manibus removet aggressorem suam ingeminans negationem. Obiit pridie Nonas Quintiles anno 1902, hora sextadecima.

Post alias sepulturas corpusculi reliquiae delatae magna pompa sunt ad monumentum paratum in ecclesia Mariae sacra Neptunii.

Statim dici coepit est martyr, nostri Agnes saeculi et multi non tantum Itali verum etiam exteri cupiunt eam quamprimum adscribi sacrarum Virginum numero, heroicum puellarum exemplar et tacitam aliarum admonitricem.

Deus certe Mariam post caedem diem retinuit in vita, ut ipsa testis primaria sui esset martyrii. Mater eam interrogavit, si jam antea Alexander ei molestus fuisset. Tum illa candide; Ita mamma, bis fuit oneri mihi, nunc fere mensis est. Sed, amor mihi, inquit mater, cur id non dixisti matri tuae, ut hanc saltem evitasses necem? Tum Maria: Mea mamma, juravit se me occisurum esse, si reni rettulissem tibi; ecce hoc fuit cur nihil dixerim. Nunc me etiam sic interfecit. Hic mater: Sed non clamasti, cum te caederet? Et filia: Sane ego clamabam, mamma, sed ille quādiu clamavi, tam diu cecidit. Cum non possem diutius, intermisit. Postea iterum aggressus est.

Haec fere sunt quae de vita et de morte Mariae Goretti tradunt. Non implentur magna volumina vita puellae vix duodecim annos natae et humili natae condizione. Sed jam de se adulti, jam viri confessi sunt non sine lacrimis se legisse quae de hoc martyrio pudicitiae in libellis descripta sunt. Ego certe lecto uno ex istis libris impulsus sum quae legeram his alcaicis complecti versibus, quos tibi quoque offero legendos:

In Mariam Goretti ode

*Quando Mariae martyrium tego
Carae Goretti, sanguine quae suo
Saecli caput nostri sacravit,
Vix teneo lacrimas et anceps*
*Delibero, quid nunc prius aut magis
Mirer: triumphi quae data gratiam,
An robur invictum puellae,
Occiduae teneris sub annis.*
*Corruptor orbis viderat invidus
Praestantiorum corpore et indole,
Quam ferret aetas, te, Maria,
Quam bene comparo margaritae.*
*Hanc ille porcis aggreditur dare
Fisus casuram, verba minantia
Ausus pudendos si gravarent,
Vincere sic solitus minores.*
*Frustratur in te nescius Angelo
Dixisse Jesum, cum fieres, tuor:
«Hanc trado tutandam puellam
Martyrio celebrem futuram,*
*Senos bis annos quando repleverit:
Natum quot annos me Genetrix mea*

*Invenit in templo, tot illa
Nata domus capiet supernas».
Exinde tantam suscipit Angelus
Felix alumnam, dicit et excusat,
Et annis infantem videres
Angelicos reparare mores.
Mater renarrat, quam fueris bona,
Quam scita, sollers filia, te ferunt
Omnes modestam, puritate
Nulla piam superat Mariam.
Non multa terrae te sapientia
Inflavit; illam, quam reserat Pater
Parvus, tibi Jesus recusit,
Dum ter alit dape te sacrata.
Et illa virtus, qua veteres mali
Vievere Christi discipuli dolos,
Te reddit invictam timorem
Dans Domini sceleris fugacem.
Et illa dulcis Virgo potens, tua
Patrona, princeps quae quoque martyrum
[est,
Ut crescas annis largiore
Corde foveat; redamas et ipsam.*

*Sic comparatam daemonicus furor
 Libidinosi sub facie maris
 Invadit: indigno pudorem
 Prodigeres male fida Christo,
 Clam matre; ferrum cernis et horridum,
 Si prodiisses ausa nefaria:
 Monstrum taces; unum reponis:
 Non faciam, scelerosa res est.
 Maria, vocem reprimis, et tamen
 Nunc indigeres consili et auxili;
 Sentis propinquas, ni cedas, ruinas
 Prompta mori, modo liliata.
 Occasionem calliditas struit
 Inferna, jam bis vana ferocior;
 Irrumpit arbitris remotis
 Caedere, si reneges parata.
 «Peccare me vis? Non faciam, miser
 Tu, qui peribis sic feriens tibi
 Nil obligatum», Caecus ille
 Vim facit, et veluti leaena.
 Maria, luctas, dum lanio velut
 Crudelis, amens immemor et Dei
 Romae, Idibus Februariis.*

*Concidit is telo lacertos
 Ipsius officio occupatos.
 Saevis jaces transfixa doloribus
 Matrique multum flebilis et tuis,
 Sed grata Christo, quem secuta
 Das veniam generosa turpi.
 Jam passionis finis adest tuae;
 Nunc Angelorum laeta cchors polo
 Delapsa terrae mole nudam
 Fert animam patrias in aedes.
 Hic te receptam virgineis choris
 Christi serenus contuitus beat;
 Brevique momento laboris
 Laetitia frueris perenni.
 Agnetis instar condecoras Dei
 Tu civitatem. Complaceat Deo—
 Sic nos precamur— te supremo
 Caelituum decorare honore,
 Et rite SANCTAM dicere sit pium!
 Nunc sis imago tu popularibus
 Lucens puellis exterisque!
 Illecebras duce te retundant!*
 AVENARIUS, S. V. D.

De cognomine «CLARET»¹

Significatio Cognominis

Argumentis, quibus CLARET a CLARETO loco procedere arbitramur, perspectis, nominis etymologiam notare juvabit. Indubia res est CLARET a voce latina *clar-us* originem ducere, ex qua nata sunt etiam *Clar-a*, *clar-iana*, *clar-in-a*, cet. At illud animadvertisendum, ut optime notat BALARI,² verba, quae apud catalaunos a radice *clar-* procedunt, eandem non habere significationem ac latinam, scil.: *perspicuus*, *fulgens*, *splendidus*, *insignis* [*significatione activa* = *lumen praebet*]; sed *clar-* opponi *obscuro* —seu nigro— quod significationem secum fert loci cuiusdam arboribus consiti in quo claritas seu lux officitur; dum *clarus* est locus arboribus vacuuus, in quo lumen intrat; sic *Monsclarus* (*Monclar-*) mons ab arboribus vacuuus, i. e. in quo lux penetrat [*significatione passiva* = *lumen accipit*] et ideo *clar-* sensum habet etiam *coloris clari* (BALARI).

Ergo CLARETUM hujus significationis particeps, erit *locus sine arboribus, lumine perfusus*; eaque significatio optime quadrare videtur locis quae in iberdensi provincia *Clareti* nomine appellantur.

¹ Cfr. superiorum fasciculum, 69, p. 87. — ² *Orígenes históricos de Cataluña*, p. 104.

Nunc vero suffixum *-etum* radici *clar* appositum, novum praebet argumentum quod nomini CLARET ut loco favet. Nam illud suffixum *-etum* non tantum ad loca designanda cuiusdam arboris consita, mutuatum est, ut *frutetum*, *arboretum*, *vinetum*, *arundinetum*, *querchetum*, sed etiam notionem abundantiae significat absolute: *sepulcretum*: locus sepulcrorum, *Castelletum*: locus castellorum, *Asinetum*: locus asinorum, *Fontanetum*: locus fontium (*fontana*). Sic CLARETUM erit locus abundans, perfusus lumine.

Quod certe suffixum *-etum* jam in pristina lingua latina ad effingenda hujusmodi nomina locorum usurpatum est, teste Varrone: «In eo (Aventino) *Laur'etum* ab eo quod ibi sepultus est Tatius rex, qui ab Laurentinis interfectus est» (VARRO, *L. L.* 5, 152). «Ut inter sacram viam et macellum editum *corn'eta* a cornis, quae abscissae loco reliquerunt nomen ut *Escub'etum* ab *esculo*». *Argill'etum* sunt qui scripserunt ab Argola seu Agrola... alii ab Argilla, quod ibi id genus terrae (*Id.* 5, 158). Ergo: Laurentinus > Lauretum, cornu > corneta (velut plurale a *cornetum*) Esculum > Esculetum, Argilla > Argilletum. Ergo pari ratione clarus > CLARETUM: locus perfusus claritate. Ex verbis igitur Varronis patet suffixum *-etum* apprime inservire ad nomina locorum effingenda; eodemque usi sunt veteres et recentiores.

Nostram sententiam firmiorem reddunt verba ex *Enciclopedia heráldica y genealógica Hispano-Americana*, t. 26, deprompta: «CLARET: apellido catalán, originario del lugar de Claret, cuyo nombre tomó del partido judicial de Tremp, Provincia de Lérida. Tuvo casa en la ciudad de la Seo de Urgel y pasó a Mallorca».

At desunt —fateor equidem— firmissima argumenta quibus sine haesitatione asserere possimus atque probare nomen Bti. CLARET vere procedere a loco illo, nam ad id genealogiam instituere oporteret atque ita ad saeculum XIII —quo saeculo orta sunt vera cognomina— ascendere, sed id impossibile est, nam P. Hyacinthus Blandh, C. M. F., in opusculo *Arbre genealògic del V. P. Antoni Claret*, aliquos proferens proavos, asserit: «Omnes proavi paterni hic produciti in linea recta, nati sunt Sallenti usque ad a. 1622; libri paroeciali usque ad 1600 progrediuntur». —Ergo nec nos ultra progredi possumus. Et tantum probabilitate, qua gaudent allata argumenta, frui possumus.

Claretianus - Claretiano

At vero cum non tantum de origine cognominis CLARET orta sit disceptatio,¹ sed et de vocibus ab illo derivatis, ad eas nostra nunc se refert oratio. Hispani accepimus et usurpamus claretiano, itali claretiano, angli claretian, germani claretiner, catalauni claretià, galli claretien admittant oportet (ut quotidien > quotidianus, césarien, cicéronien, cum suffixo latino *-ianus*). Sunt qui hujusmodi haud facile admittant nova verba; at linguarum vigor et vita in novis vocabulis cudendis stat.

¹ Sciebam aliqua de Claretiano diseruisse carissimus socius et frater in religione P. Ildephonsus González, C. M. F. in nostro privato Commentario *Candidato Latino*, cui sufficta est *Palaestra Latina*, ea tamen ad manus neque habueram, neque inveneram nisi post superiorum elucubrationem exarata. Eadem fere — a P. González in *Candidato Latino* n.º 10, p. 72 —, afferuntur argumenta pro Claretiano admittendo et Clarecciano respondo ac nos hic proferimus. —Hac data occasione eximum latinitatis cultorem benevolo animo hisque litteris salvere jubemus, cumque, ut ad Palaestræ arenam accedat, et precamur et desideramus.

Placeret forsitan quibusdam ut *claretini* appellaremur et res *claretinae*, ut ex Paulo > *Paulinus*, ex Plauto > *Plautinus* et Teatinus. At licet nulla staret vera ratio, quin ita usu eveniret, tamen animadverte romanos generatim usurpasse suffixum *-anus*, *-ianus*, in vocabulis loci: *castell-anus*, *font-anus*, *hortul-anus*; temporis: *cottidianus*, *merid-ianus*; sed praesertim in nominibus: *Sull-anus*, *Gracch-anus*, *Aemil-ianus*, *Tuscul-anus*, *Caesar ianus* *Ciceron-ianus*; quamvis et in *-inus* finita adsint non nulla: *Venus-inus*, *Lanuv-inus*, *Tarent-inus*; at ut notat cl. MEYER-LÜBKE, *Grammaire des Lang. Romanes*, II, 452: «En général le roman semble aimer peu cet emploi adjec-tif» (*-ino*). Et illud etiam nos movet ad *claretianum* admittendum, quod hispani similia habemus orta vocabula in Academia accepta: Sales > *Sales'iano*, Kant > *Kant' iano*, et vulgata Monfort > *Monfort'iano*, Roosevelt > *Roosvelt'iano*, in quibus ut in nostro CLARET, restat *t*, neque in *c* mutatum est. At vero quae sint rationes si quae-ris, cur haec mutatio *t* > *c* locum non habuerit in voce *claretiano*, dicam: primo, ut servetur rectus aptusque sonus: hispanice ut sonet *claret'iano* et pariter latine *claret'ianus* (non *clarek'ianus*); secundo, quia vox est non vulgo ficta atque trita, sed a litteratis hominibus exstructa et ideo vocum —quae exultae seu litteratae vocan-tur— leges sequi debet, non vero leges aliorum verborum; tertio, quia si fuissest vox sub legibus phoneticae historicae hispanae acta, exortum esset vocabulum *clarezano*; sed lex quae hoc dedisset vocabulum, plura jam saecula vim et vigorem amisit. *Clarezano*, dixi, apparuisset, quia *ty* (*ti*) in vulgari sermone latino sibilum ad-misit jam a saeculo II p. Ch. et in inscriptionibus videmus *Crescentsianus* (saec. II), *Marsianesse* (*Martianenses*, saec. III) et Casiodorus ait; «*Justitia* cum scribitur *tertia* syllaba sic sonat quasi constet ex tribus litteris *t*, *z* et *i*».¹ Sed hu-jusmodi sibilum *tzi*, deinde mutatum est in Hispania in *ç*, *z*, sic: *terciariu* > *tercero*, *fortia* > *fuerza*, *martiū* > *marzo*, *ratione* > *razón*, *malitia* > *maleza*, *justitia* > *justeza*, *aciaru* > *acero*, cet.² Sunt certe plurimae voces exultaes quae extremam mutationem non subierunt (*ty=z*), primam tamen retinuerunt (*ty=cy*) ut: *precio*, *justicia*, *ma-licia*, cet. quibus adscribas oportet haec nomina: *Rogaciano*, *Potenciano*, *Ponciano*, *Crescenciano*, *Florenciano*, quae omnia latine per *t* scribuntur (*cy < ty*). At cum vox *claretiano* nova et a litteratis hominibus ficta sit, has vulgares mutationes subire non potest; ergo et *clarezano* respuendum et *clareciano*, ut recta scriptio maneat *claretiano*.

Ex his quae superius probavimus, rejicienda omnino arbitramur scriptio itala *clarettiano*, quam quidam propugnarunt, nam tota ruit eorum argumentatio quae CLARET ut diminutivum adstruit (a *clarulo*): ergo *clarettò* cum suffixo *-etto* ab *-ittu* (cat. > *et*). Quod tamen si verum foret (i. e. diminutivum) nulla adesset ratio quare nomen mutaremus. Praeterea CLARET a *clareto* dimanare probavimus, quare igitur aliud *t* jungitur? —Nonne habent itali plura ex suffixo *-eto* conflata verba in qui-bus *-eto* appetet, non vero *-etto*?: *Arboreto*, *agrumento*, *carpineto*, *cupresseto*, *faggeto*, *felceto*, *lecceto*, *elceto*, *fontaneto*, quae hispanice respondent suffixo *-edo* ut *avellane-do*, *castañedo*, *olmedo*, *olivedo*, *robledo*, *salcedo*; et ab *-etum* suffixum abundantiae

¹ Cfr. GRANDGENT, *Latin vulgar*, 277; MENÉNDEZ PIDAL, *Manual de Gramática histórica española*, 34, 3, 2. —
² Cfr. MENÉNDEZ PIDAL, Ib. 53, b; E. HERNÁNDEZ GARCÍA, *Gramática hist. de la lengua esp.* 370.

procedunt, ut noster CLARET? Habent praeterea itali *Oliveto* ex quo *olivetani* aut *olivitini*, dicant oportet, non *olivettini*, licet habeant pariter *Olivetti* cognomen. Ergo ut jam traditum divulgatumque est retinendum hispan., ital. *claretiano*, catal. *claretia*, angl. *clarettian*, gallice *clarettien*, germ. *Claretiner*.

Sunt qui praeter *Claretianum*, et *claretistam* admittant, eoque usi sint composite, at licet ex suffixo *-ista* plurima nostra aetate deducantur derivata, tamen melius *claretianum* respondet sensui: [«res ad *Claret* spectantes»], nam ea est significatio suffixi *-anus*, dum *-ista* est res quae suapte natura ad *instrumentum*, ad *materiam*, ex qua aliquid fit, sese refert.

Haec habui, benevole lector, quae de CLARET et CLARETIANO dicerem, quae utinam tibi placeant et ad veritatem accedant.

JOSEPHUS M.^a MIR, C. M. F.

Bibliographia

R. Menéndez Pidal. — *Manual de gramática histórica española*, Espasa - Calpe, Madrid, 1941; p. 369.

Pluriens in manus opera clarissimi philologi hispani R. Menéndez Pidal habui, ea praesertim *Orígenes del español* et *Cantar del mio Cid*, in eisque semper miratus sum summam et accuratam de re linguistica et philologica scientiam et altam eruditioinem. Cumque lectoribus suscipiam opus eximium ejusdem auctoris *Manual de gramática histórica española* commendandum, id maxima reverentia erga tantum praeceptorem efficio; illudque sincero ac pleno ore pronuntiandum puto: «Magister dixit». Et vere magistrum nominamus qui, tot annos omnem curam et studium in investigandis primordiis linguae hispanae commodaiverit, plurimosque discipulos instituerit atque erudierit.

Librum agnoscent quotquot in aulis Universitatum intersunt alumni litteris classicis et romanis incumbentes. — In eo partes grammaticae historiae hispanae gradatim evolvuntur, origo et fontes, quibus est sermo vernaculus enutritus, declarantur; de vocalibus fit sermo, inter quas pri-

matum et maximum momentum habet *iod*, quae plures explicantur evolutiones phoneticæ, deinde de consonantibus initialibus, mediis, coadunatis et finalibus; eae expenduntur leges quae assimilationis, dissimilationis, metathesis, vocum immixtionis (*cruce*), epenthesis, etymologiae vulgaris... vocantur; et tandem quaestiones quae ad nomina, pronomina, compōsita verba et particulas, cet. spectant. Omnia pertractantur summa rei cognitione; passim ephemerides, auctores, quaestiones notantur nondum solutæ et quibus ipsem auctor saepius lumen attulit.

Initio cuiusque capituli praemittuntur quaedam quasi principia —exquisite exposita— quibus reguntur evolutiones phoneticæ, quae subsequuntur. —Liber est velut sistema historicum quo evolutiones linguae latine in hispanicam explicantur. Ac licet sint non nulla quae in controversiam deduci valeant, tamen dum auctorem perlegas, veritatem te assecutum credas.

Utinam huic volumini, quod est de phonetica et morphologia, aliud de syntaxis, ea qua pollet rerum scientia et ingenii doctrina, auctor adderet.

Jos. M. MIR, C. M. F.

Lectores humanissimi

sociique omnes, adstante Natali Domini, gratiis caelestibus perfruamini
nostramque gratulationem benigne accipere dignemini.
Valete et ad Kalendas Januarias.



NOVA ET VETERA

PITTACIA AUGUSTEA

Memerabilia quae in singulis populis celebranda occurunt, jam mos et consuetudo viguit ea pittaciis cursoribus signandi.

Nondum ex mente nostra vividae illae imagines discesserunt, quae, altero a Vergilii et Horatii nativitate recurrente saeculo, Italiae incolae litterarum involucris adfigebant.

Nunc memoriam Octaviani Augusti recolentes, dum lectoribus conspicienda proponimus pittacia nonnulla, quae per annum bis millesimum Augustanum incidi et in tanti imperatoris honorem vulgari copta sunt, quid ex eisdem adscriptis sententiis conjici et intellegi possit, exprimi licet.

* * *

Coepta profligataque opera a patre meo perfeci (fig. 6)

Devicto Pompejo, Caesare in patriam victore invecto, Romana res p. in statum pristinum libertatis et gloriae redeunda videbatur. Sed spes diu stabilis non fuit; nam Brutus et

Cassius aliique patres, dola meditantes, in caedem principis consensere. Atque, o fatum iniquum! quemadmodum «in annua caeli conversione fieri solet ut mota sidera tonent ac suos flexus tempestate significant, sic tum Romanae dominationis, id est humani generis conversione penitus intremuit omni genere discriminum, cibilibus, externis, servilibus, terrestribus ac navalibus bellis omne imperii corpus agitatum est».¹

Re vera nondum omnino Pompeji partes subjectae, adhuc in Dacos et in Parthos expeditio immatura, nondum victoriae ludi celebrati.

Quis Romanam rem p. servaret Caesarianumque opus perficeret? Octavius Augustus, quem in filium ac haeredem Julius adoptaverat, ipse patris et avunculi necem vindicaturus; ipse nempe qui

«pacatumque reget patriis virtutibus orbem».²

Igitur Caesaris percussoribus sublatis Sextum Pompejum, qui fuga ex Hispania evaserat, in Siculo freto magna belli mole oppressit et vi; Parthosque, qui Romanas discordias laeti acceperant animosque altius erexerant, ad societatem demum cum populo Romano ineundam adegit. Praeterea ludos ob victoriam Caesaris, cum iiii, quibus incumbebat ordinare non auderent, ipse propria auctoritate edidit et tuuc

¹ Florus, Epit. IV, 3. — ² Eclog. IV, 17.

—mirabile visu!— dum ludi agebantur, «stella crinita per septem continuos dies fulsit exoriens circa undecimam horam, creditumque est animam esse Caesaris in caelum recepti; et hac de causa simulacro ejus in vertice additur stella». ³ Quo fit ut in omnibus fere Caesarianis sigillis, nummis et figuris *micet quoque Julianum sidus*. ⁴

* * *

Bella terra marique... toto orbe terrarum saepe gessi victorque omnibus (fig. 3 - Mon. Ancyra. 3)

Ut cum carceribus sese effudere quadrigae
addunt in spatha, et frusta retinacula tendens
fertur equis auriga, neque audit currus habenas,

ita, ubi Octavianus haereditatem adiit, *saevit toto Mars impius orbe* (cfr. Ovidio, Metam. 3, 41)

...Squalent abductis arva colonis
et curvae rigidum falces conflantur in ensem. 5

Ubique premunt bella: Mutilense in primis adversus Antonium, Philippense adversus Brutum et Cassium, Perusinum adversus L. Antonium triumviri fratrem, Siculum adversus Sextum Pompeji filium, Aetianum novissimum et acerrimum adversus Antonium, quondam in regenda re publica collegam, nunc novis rebus studentem.

Nec defuerunt externa bella. Duo omnino per se Augustus gessit: Dalmaticum et Antonio devicto Cantabricum; et quamvis graves ignominias cladesque duas in Germania accepisset — Lollianam nempe et Varianam — tamen tum ductu, tum auspicis «domuit Aquitaniam, Pannoniam, Dalmatiam cum Illyrico omni, Raetiam et Vindelicos ac Salassos, gentes Inalpinas. Coercuit et Dacorum incursiones tribus eorum ducibus cum magna copia caesis, Germanosque ultra Albim fluvium submovit. Alias quoque nationes male quietas ad obsequium redegit». ⁶

Merito igitur Venusinus:

...Desin mollium
tandem querellar um, et potius nova
cantemus Augsti tropaea, 7

quae in pittaciis (n. 3) ut bellicae laudis victoriaeque insignia prostant.

* * *

Classis mea per Oceanum — Mare pacavi (fig. 4 - 1 - Mon. Ancyra. 26 - 25).

Quartam quidem imaginem ubi attente perspexeris, clades illa in mentem subbit quae ad Sicas plagas, saevae Junonis ob iram, Trojanorum classis passa est, eamque non nisi Aeneidos mirifice expressam dixeris tempestatem quam Mantuanus vatis adprime depingit:

...stridens aquilone procella
velum adversa ferit fluctusque ad sidera tollit,
franguntur remi, tum prora avertit et undis
dat latus, insequitur cumulo praeruptus aquae moⁿs;
hi summo in fluctu pendent, his unda dehiscens
terram inter fluctus aperit, furit aestus harenis. 8

Hanc tamen imaginem non ad Trojanam, sed ad Octavianam classem referre opus est; sive cum in Siculo freto post duplex naufragium amissa classe navibusque ex integro refectis ac viginti servorum milibus ad remos missis, intercisso Herculanico, viae limite refossisque litoribus, Lucrino lacu in portum mutato, in illa aquarum

³ Suet. D. Julius, 88. — ⁴ Cfr. Hor. Carm. I, 12. 46. — ⁵ I, Georg. 511. — ⁶ Suet. Aug. 21. — ⁷ Hor. Carm. II, 9, 19.
— ⁸ Aen. I, 102.

quiete classis exercita imaginem belli navalis agitabat; ⁹ sive cum positis castris in Epiro, omni Aetiano litore navibus plus quam quadringentis succincto, magno aquarum gemitu ventorumque labore, proelium adversus Antonium et Cleopatram ab Augusto initum perfectumque fuit. De hoc Aetiano proelio exstat haec pulcherrima Vergilii descriptio:

«Haec inter tumidi late maris ibat imago...
In medio classis aeratas, Actia bella,
cernere erat totumque instructo Marte videres
fervore Leucatem auroque effugere fluctus.
Hinc Augustus agens Italos in proelia Caesar
stans celsa in puppi, geminas cui tempora flamas
laeta vomunt patriumque aperitur vertice sidus...
Una omnes ruere, ac totum spumare reductis
convulsum remis rostrisque tradentibus aequor» ¹⁰

Jam vero post Aetianum, discriminem viator, urbem Nicopolim apud Aetium condidit ludosque quinquennales ibi constituit et ampliato vetere Apollinis templo navalibus spoliis exornato, Neptuno et Marti consecravit. ¹¹

Itaque, pacato mari (n. 1), viator in urbe receptus est Caesar
«imperium Oceano famam qui terminet astris» ¹²

* * *

Juravit in mea verba tota Italia et me ducem depoposcit. (fig. 2. Monum. Ancyrr. 25)

Augustus non minus quam in bellis gerendis, in re publica administranda praeclarus; nam ut primum dux et imperator evasit, etsi jugibus curis —ut praesores bellicae ferunt— indulgere coactus esset, se totus ad Romanam gloriam urbisque incrementum contulit: primum Urbis ornatum ad eum gradum ferendo ut «marmoream se relinquere, quam latericiam accepisset» ¹³ dictaret; post nova officia excogitando, curamque operum publicorum, viarum videlicet, aquarum, alvei Tiberis habendo; praeterea spectaculorum frequentia, adsiduitate, varietate ac magnificentia ita populum recreando ut potius quam Domini, «Patris patriae cognomen universi repentina maximoque consensu detulerint» ¹⁴

Unde nihil mirum si revertentem ex provincia non solum faustis ominibus, sed et modulatis carminibus, manibusque circumplaudentes,

«undique jactato flore tegente vias»

imperatorem Augustum prosequabantur, dum Caesar viator in curru vectus

«ipse sono plausoque simul fremituque canente
quadrijugos cernit saepe resistere equos» ¹⁵

* * *

Censum populi egí (fig. 5 - Mon. Ancyrr. 8)

Haec sicut aliorum pittaciorum inscriptiones a memorabili «Monumento Ancyranó» mutuata fuit, quae in laudato documento ita se habet: IN CONSVLATV SEXTO CENSVM POPVLI CONLEGA M. AGRIPPA EGI. ¹⁶ Unde anno a. U. C. 726 ante Chr. n. 28 Augustus censum ordinavit. Sed cum Romanum imperium in dissitissimas quasque terras pervenisset, si census vicatim, ut tradit Suetonius, ¹⁷ perficiendus erat, hunc,

⁹ Flor. Epit. IV, 8. — ¹⁰ Aen. VIII, 671-690. — ¹¹ Suet. Aug. 18. — ¹² Aen. I, 287. — ¹³ Suet Aug. 28. — ¹⁴ Suet. Aug. 58. — ¹⁵ Ov. Trist. IV, 2, 52. [Augustus bis ovans ingressus est Urbem post Philipense et rursus post Siculum bellum. Curules triumphos tres egit Delmaticum, Actiaticum, Alexandrinum, continuo triduo omnes Suet. Aug. 22.] — ¹⁶ Hujusmodi documentum cum editis exemplis collatum et suppletum edidit Ed. Chribellus Britannus notisque instruxit eritis in Antiquit. Asiat. p. 170 et et sqq. unde Jer. Jac. Orbclinus suae adjectit Taciti editioni Lips. ann. 1801. 8.^o — ¹⁷ Aug. 40.

facile cernes, non nisi aliquot post annos, absolutum iri. Maxime si, quod videtur, de censu personarum et agrorum agebatur. In censu enim personarum quisque civis «nomen, genus, annos de se, uxore, liberis et servis, eorumque officia et artes, deinde pecunias suas et praedia coram censoribus profiteri» debebat; in agrorum censu «nomen fundi, tum locus in quo esset, vicini praeterea, deinde arva, vineae, prata, silvae, pascua» concratabantur.¹⁸

Quod si nostris temporibus, unius tantum populi census, ex. gr. hispanorum, per integrum annum difficile absolvitur, quid ergo de Augusteo censu putandum? Igitur potuit Lucas caput de Nativitate Domini his verbis coepisse: «Factum est autem in diebus illis, exiit edictum a Caesare Augusto ut describeretur universus orbis». 'Εγένετο δὲ ἐν ταῖς ἡμέραις εκείναις ἐξῆλθεν δόγμα παρὰ Καίσαρος Αὐγούστου, ἀπογράφεσθαι πᾶσαν τὴν οἰκουμένην.¹⁹

Forte ex hac mira concordia census augustani cum Nativitate Domini, pictor optimo consilio in pittacio (n.º 5), christiano sensu, conjunxit Crucem salutis aquilaque romanis, dum illud Vergilii de Christo Jesu praedicare videtur:

«Jam nova progenies caelo demittitur alto»²⁰

* * *

Templa Deorum in urbe refeci (fig. 8, cfr. Mon. Ancyrr. 20)

Praeter cetera, Augustum haec tempora exstruxisse fertur: aedem Martis Ultoris, quam bello Philippensi pro ultione paterna suscepito voverat; templum Apollinis in ea parte Palatii, quae fulmine ita fuerat; templum Tonantis Jovis in Capitolio post expeditionem Cantabricam,

Ceterum aedes sacras vetustate conlapsas aut incendio absumptas refecit easque et ceteras opulentissimis donis magnifice ditavit.²¹

Possumus igitur huic octavo pittacio haec Horatiana verba adscribere:

...et deorum

templa novo decorare saxo». ²²

* * *

Augustus Imperator (fig. 7)

Quo nunc omnes Augustum imperatorem appellamus, hoc non proprium sed additum nomen est. Thurinum enim primum ei cognomen erat, satis certa probatio ne, quod regione Thurina recons eo nato pater Octavius adversus fugitivos rem prospere gesserat. Postea —ut ait Suetonius—²³ Gai Caesaris et deinde Augusti cognomen assumpsit: alterum testamento majoris avunculi, alterum Munatii Planci sententia, cum, quibusdam censemibus Romulum appellari oportere quasi et ipsum conditorem urbis, praevaluisse, ut Augustus potius vocaretur, non tantum novo sed etiam ampliore cognomine, quod loca quoque religiosa et in quibus augurato quid consecratur augusta dicantur, ab auctu vel ab avium gestu gustuve, sicut etiam Ennius docet scribens:²⁴

«Augusto augorio postquam incluta condita Roma est».

Quod si Octavius Caesar, Augustus nominatus simul et habitus, quid mirum si divinis honoribus coli coeptus, Deusque vocatus?

Ergo de Augusto Vergilius:²⁵

«in medio mihi Caesar erit, templumque tenebit.

et Tityrus apud eundem canere potuit:²⁶

...Deus nobis haec otia fecit.

Hic illum vidi juvenem, Meliboe, quotannis
Bis senos cui nostra dies altaria fumant».

J. JIMÉNEZ, C. M. F.

¹⁸ Cfr. Ulpian. Dig. 50, tit. 15, 3 et 4. — ¹⁹ Luc. II, 1. — ²⁰ Ecl. 4, 6. — ²¹ Cfr. Suet. Aug. 29, 34. — ²² Hor. Od. II, 15, 20. — ²³ Suet. Aug. 7. — ²⁴ Enn. 502, V. 2. — ²⁵ Georg. III, 16. — ²⁶ Eclog. I, 6, 42

Per Orbem

Quae praesentiret animus!



Dulce Cor Mariae, esto salus mea!

Pulcherrima Cordis Immaculati Mariae effigies cui Barcinone in ecclesia Missionariorum Claretianorum frequenti hominum concursu pii sacrique honores tribuuntur.

abfuisse, nihilominus perditissimorum ira et incuria satis quidem, si bellum perdurasset, eversioni et excidio foret.

Nunc tamen alma pace cuncta reflorente, Claretiani, una Dei Providentia freti templum ex integro reparare aggressi sumus. Pulchrius camerae et absidis concha, mirum pictoris opus, renovatae fulgent; existit ara major ex marmore aereque polita; rursus in sublimi templi cella de solio aureo Virgo Mater subridet; altissimi demum tholi fastigium Cordis Immaculati B. M. V. insignem ex lapide in Mare Nostrum conversam effigiem sustinet,

Reliquum est ut quae desiderantur —organum, pavimentum— componantur.

Quotiens tamen, ut verum loquar, fautissimo die, velut oblii ante malorum triumpho gauderemus, subibat usque tristissima noctis imago quae tot suavissimis fratribus supremum tempus *«in urbe»* fuit.

Catalauniam ejusque principem urbem in vexatissimis Hispaniae provinciis et civitatibus connumerare opus est, Quid flagitorum admirerint, quid luctus atque

Patres Claretiani Barcino-ne degentes XVI Kal. Novembres solemnia consecrationis aedium sub titulo Purissimi Cordis B. M. V. celerabamus. Hoc fautissimum nuntium ad lectores mittimus quos dudum conscos esse scimus quid, bello civili, societati nostrae Claretianae praeceteris luctus atque jacturae evenerit.

Re quidem vera plus triginata annorum labor in hoc insigni pietatis et pulchrarum artium monumento aedificando, una amentiae hora, sub illa nocte Julii anno 1936 igni ferroque periit. Quocumque oculos conjiceres ibi pretiosissimi delubratabulas, ibi aras, ibi imagines atque supellectilem igne labefactata cerneris. Quid reliquum esset intus, haec ad fores minio scripta verba monebant: RUI-NAE.

Hominum³ injuriam tempus exceptit, utut incendium

ruinarum turbae excitaverint, animus vel meminisse recusat. Nihil nece tot viorum, et arte et religione insignium crudelius fuit. Hos ira infensissimi hostes hac illac apprehensos, aut confestim indicta causa necarunt aut in vincula conjectos, diu ambustos, multumque passos ad virtutis laurum adegerunt.

«Certe si nihil animus eorum praesentiret in posterum et si quibus regionibus vitae spatium circumscripum est eisdem omnes cogitationes terminarent suas, nec tantis se laboribus fregissent nec tam fortiter dimicarent; at insederant quae-dam in eis *invicta fides in Deum et amor qui noctes ac dies animos aeternae gloriae stimulis concitarent atque admonerent* non cum vitae tempore esse di-mittendam commemorationem sui nominis, sed *cum angelis et sanctis adae-quandam*».

His fere Ciceronis verbis utar, ut decem et octo invictos Christi Regis et Patriae martyres, laudibus cumulem et nomina commendem.

Exstat in dextra columna ecclesiae lapis ex marmore affabre caelatus, monu-mentum Martyrum Claretianorum. Lectoribus pergratum me facturum spero si ti-tulum lapidis ab humanissimo viro P. Francisco Morán in memoriam compo-situm exscripserimus.

HEIC - VITA - MORIBVS - QVE - MISSIONARIORVM
HEIC - MORTE - FUSO - QVE - SANGVINE - MARTYRVM
ANNO - M - CM - XXXVI
GRASSANTE - PER - HISPANIAM - MARXISTARVM - LVE
TESTIMONIVM - FIDEI - DEDERE
PRO - DEO - ET - PATRIA
OCCVMBENTES

CONGREGATIONIS - NOSTRAE - FILIORUM - IMM^TI - CORDIS - B. M. V. - SODALES

QVORUM - SVNT - NOMINA

CANDIDVS - CASALS	JOSEPHVS - OLIVA
GVMERSINDVS - VALTIERRA	ANTONIVS - BADIA
HYACINTHVS - BLANCH	JOACHIMVS - VILANOVA
PETRVS - POVS	LAVREANVS - MUÑOZ
MARCVS AJVRIA	MARCVS - CANALS
CYRILLVS - MONTANER	ISIDORVS - MARTINEZ
FERDINANDVS - MALLEN	VICTOR - VIDAL
ALOISIVS - CLARA	SIGISMVNDS - BENET
ADOLPHVS - DE - ESTEBAN	JOANNES - CAPDEVILA

IIS - QVE - SIMVL - OMNIBVS

IN - MEMORIAM - ET - EXEMPLVM - PRAESENTIBVS

HOC - IN - TEMPLO - QVOD - ETIAM - FVERAT - IGNE - FERRO - QVE - LABEFACTATVM

TVM - DEMVM - PVLCRIVS - EXSTRVCTO

QVO - DIE - CONSECRATVM - EST

AB - EXCMO - REVMO. - P. FRIDERICO - COSTA - C. C. - EPISCOPO - TIT - TVBVNENSI

FRATRES - SUPERSTITES

MNEMOSYNON - PERAMANTER - DEDICAVERVNT

XVI - KAL - NOV - AN - M - CM - XLI

Haud dubium quin Rex Christus milites suos pro ejus honore tam fortiter passos pulcherrimam mortem, corona donaverit.

Barcinone in festo Christi Regis anno MCMXLI.

A. ARGENTORATUS, C. M. F,

BIBLOS, S. A. (Librería Subirana)

Puertaferrisa, 14.-Apartado, 203
BARCELONA (2)

Obra nueva importantísima Gramática sucinta de la Lengua Griega

por el P. Ignacio Errandonea S. J.
(B. Litt. Oxford)

Es esta obra fruto de muy larga experiencia y brillan en ella las mismas excelentes cualidades didácticas de que aparecen adornadas todas las obras de su autor, insigne humanista oxoniense.—El la ha podido calificar de «sucinta» a pesar de su densidad y relativa perfección porque empleando en ella la misma nomenclatura y el mismo orden de materias que en su gemela latina, ha podido ahorrar mucho espacio, simplificar sus reglas y facilitar así su aprendizaje.

Un tomo en 4.^o ptas. 8'50 rtca. y 11 en cartoné

DEL MISMO AUTOR

Gramática Latina (novena edición)

Un tomo en 4.^o ptas. 14 en cartoné 11'50 rtca.

RELOJES, PIPAS Y PORTAMINAS

REPARACION DE PLUMAS
ESTILOGRAFICAS
ESPECIALIDAD
EN PLUMAS DE MARCA



Casa de la **ESTILOGRAFICA**

SELLOS de GOMA y GRABADOS

V E N T A S
M A Y O R Y
D E T A L L

Fontanella, 19 - Teléfono, 12133
BARCELONA

Textos Palaestra

Preparados por PP. Misioneros del C. de María

Pídanse a la Administración:

Lauria, 5 (Apartado, 1042) - BARCELONA

Historiae Sacrae Compendium
para el primer Curso latín 4 ptas.

Epitome Historiae Graecae
para el 2.^o curso . . . 5 ptas.

Ciceronis Epistulae Selectae
para el tercer curso
sólo texto latino . . . 1 pta.
con notas y vocabulario 3 ptas.

Ciceronis Pro Archia Poeta
para el 4.^o Curso de latín
sólo texto latino . . . 1 pta.
con notas y vocabulario 3 ptas.

Ciceronis in Catilinam
para el 4.^o curso en prensa

Vergili Aeneidos liber II
para el 5.^o curso
con notas y vocabulario 4 ptas.
sólo texto latino . . . 2 ptas.

Prudentii Carmina Selecta
para el 6.^o y 7.^o curso . . . 6 ptas.

1.er Curso de Lengua Latina
adaptado al Cuestionario Oficial 3 ptas

2.o Curso de Lengua Latina
adaptado al Cuestionario Oficial 5 ptas.

N O V E D A D R E P E T I T O R I U M

Práctica de latín para los primeros cursos de Bachillerato.-Libro de cerca de 300 págs. 13 x 22 con más de 200 ilustraciones

En cartoné, 12 ptas. En tela, papel superior 15 ptas.


Descuentos especiales a librerías y, en pedidos de consideración, a Seminarios Institutos y Colegios



in Latinum
translata a R.
P. Ludovico
MARCOS
C. M. F.
Villae Rosarii
in Argentina
litt. Lat.
Professore.


LXIII

Incolumes ambo evasere a lapsu tanto; at protinus laetitia vertitur in moerorem: dextra siquidem et laeva fuscis hominibus aggrediuntur, feritatem spirantibus.




LXIV

Captus uterque stipiti adligantur donec proximo mane dentibus barbarorum avide discerpantur.



LXV

«Absque dubio, Melampe mi, res afflictæ nobis parantur; quis nos alligatos expediet?» Sic Titus plorabat cum insperato elephans accedit subsidio utrius.



LXVI

Qui miro quodam instinctu lignum proboscide contorquens et avellens, facilime per jocum trahebat illos.

